



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. De Bimestri concesso sponis ad deliberandum de Religione assumenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

ter non licere, idque sub mortali. Ratio est, quia regulariter fit primò injuria vxori, quæ cogetur expectare sine Nuptiis, donec tu profitearis. Secundò, quia tuâ causâ frustra fuerunt fortasse multe expensæ factæ à tua Sponsa. Tertiò, quia, si tu fortè non perseveraveris in Religione, cogetur vxor, cum tuo dedecore te habere conjugem ex Monachatu. Quartò, quia das animum non paucis suspicandi, ipsam à te propter aliquod vitium fuisse relictam. Quintò, qui si fortè idè vis, contrahere cum animo transeundi ad Religionem, quia Votum emiseras Castitatis, te exponis, evidenti periculo consummanti Matrimonium, adeoque Votum violandi. Ita Sanch. lib. 11. matr. d. 43. num. 7. & 12. cui adde Avers. q. 2. s. 6. v. Absolutè. Coninch. d. 43. d. 3. n. 5. G. Hurt. d. 2. de matr. diff. 5. sine, alique, quidquid dicat Pont. lib. 6. cap. 1. num. 5.

17. Dico Secundò, in aliquo rato casu magnæ necessitatis, peccatum non esse; nam propterea, addidimus illud (regulariter) ratio est, quia necessitas tanta vincere posset incommoda illa, quæ modò dicta sunt. Exempla duo affert Sanch. loc. cit. Primum, si fortè cogaris per metum gravem contrahere Matrimonium, tu verò firmum animum habeas non consummanti, & refarciendi damna, si quæ sint. Secundum, si illa Matrimonii contractio tibi esset medium necessarium, ut posses ad Religionem transire, ut si, v. g. esses carcere inclusus, ne aliud remedium evadendi occurreret, nisi cum illo animo Matrimonium contrahendi. Quòd si tua Matrimonii contractio esset necessaria ad honorem puella restituentum, quam antea, v. g. violaveras, & ad ejus prolem legitimandam, tunc enim verò non modò non posses ad Religionem ire, sed obligaberis, juxta alibi dicta, Matrimonium verè contrahere.

An prædicta dissolutio Matrimonii Rati liceat ob finem recedendi ab vxore molesta?

18. Inquires Quartò. Si quis dicto Matrimonio tantummodo Rato ligatus, solum, quia ipsi displicet vxor, eligat Religiosam professionem, tanquam minus sibi malum, peccabitne?

Respondeo. Videtur hinc licitè uti jure suo posse.

Subinquires. Quid, si notabile damnum venerit feminæ, quæ difficillime alterum virum invenire fortasse poterit?

Respondeo. Adhuc videtur vir (præsciendò ab alio inconveniente) uti posse jure suo: neque enim Charitas illum obligat cum notabili suo damno, ad feminam commodam querendam. Multò magis, quia damna prædicta per accidens, & indirectè evenirent. Adde, non irrogari injuriam feminæ, quia etiam ipsa parem habet potestatem, & sub hac implicita conditione contraxit uterque, ut, quandoque Matrimonium non fuerit consummatum, posset alter ad Religionem proficisci. Ita in simili respondet Sanchez, lib. 2. matr. d. 24. n. 2.

§. III. De bimestri concessio Sponsis ad deliberandum de Religione assumenda.

1. Quamvis semper, ut modò indicavi, etiam invitato altero, possit conjux alter ad Religionem transire, Matrimonio nondum consummato, tamen dicto conjugi, sive mari, sive feminæ Sacri Canonès concedunt bimestre (non necessariò ex Sanch. lib. 2. matr. d. 24. num. 15. complectens sexaginta dies, sed dies illos, secundum quod occurrunt eo tempore, quo de præsentis contrahitur Matrimonium,) bimestre, inquam, numerandum de momento ad momentum, à puncto Matrimonii contracti, usque ad ingressum in Novitiatum, in quo bimestri possit uterque conjux, deliberare, an velit statim Religiosum eligere, quo electo, possit ad illum liberè convolare. Quæ omnia habent, & probant DD. quos citat, sequiturque Castrop. d. 3. de spons. p. 2. §. 5. citans Pont. Sanch. G. Hurt. & alios addens hunc termi-

nam duorum mensium posse ex causa à se haberi vel prorogari.

2. Est autem notandum discrimen inter hoc bimestre, conjux potest licitè negare debitum conjugis petenti, quia in spatio illius temporis potest ad Religionem, at exacto bimestri, obligatur ad Religionem ingredi, quia jussu amplius non suffragatur; licet si, de facto ob causam aliquam Matrimonium non consummetur, etiam possit, quamvis alieno modo, ex C. ex publico de convers. Conjux Sanch. Pont. lib. 6. cap. 1. §. 5. Quamvis debeat conjux relictus in fœdali caritate, ut legitimè queat aliud Matrimonium contrahere, ut præced.

Nolens ingredi Religionem, an possit negare debitum primo bimestre.

4. His habitis tanquam certis: Inquires Primb. liceat conjugi denegare, in illo bimestri, debitum conjugis sit se nolle ad Religionem transire.

Respondeo. Probabilis est, licet, quia, qui nolit priore mense animum Religionem adijcere, potest posteriori, quare habet jus custodiendi appetentem ad Religionem. Ita Sanch. & Pontius loco citato. Nec interim probabile est, etiam esse cum Coninch. d. 43. d. 4. & G. Hurt. d. 8. de matr. diff. 8. non licere, quia dicitur id solum concessum esse illi, qui animum ad Religionem deliberandi de Religione.

Sponsa coacta à Sponsi in primo bimestri.

5. Inquires Secundò. An, si maritus, quem nondum consummavit Matrimonium, solam uxorem vocare Sponsum, an inquam, maritus in primo bimestri, si cogat vi uxorem omninò renitentem ad copulam, possit nihilominus vxor uti privilegio Religionis assumendi.

Respondeo. Quamvis coacta fuerit copula, videtur tamen peccaverit eogens ex Sanch. lib. 2. matr. d. 24. n. 15. dicunt tamen aliqui, & quidem probabiliter, dictum non posse amplius vinculum Matrimonii dissolvere, quia jam Matrimonium est consummatum, & conjuges sunt effecti una caro. Nihilominus probabiliter est, ut vult G. Hurt. d. 8. matr. diff. 9. citans Pont. d. Sanch. Avers. d. 23. matr. s. 10. v. Melius, posse uxorem coactam in Religionem ingredi, quamvis non dissolvatur vinculum, quia non debet quis ob injuriam ipsiusdari privati jure, quod habet.

6. Dixi (in primo bimestri) nam, si, eo completo, dicta vxor compellatur (saltem quando non appropinquat conjugem velle in Novitiatum ingredi, cum tunc ei non fiat injuria, (obligatur enim reddere debitum non poterit dicto privilegio frui.

7. Illud necessariò nota, cogentem, nec posse Matrimonium novum inire, nec Religionem proficisci, quamvis profiteri, coacta juxta posteriorem sententiam potest. Ratio est, quia, cum remaneat vinculum, non liberatur conjux ab obligatione Matrimonii, quam liberatur idèd potuimus concedere coacto, quia non debet ob injuriam alterius suo jure privari: id, quod non videtur in cogente.

Sponsorum copula, an Matrimonium consummetur?

8. Inquires Tertid. Si Sponsi ante contrahendum Matrimonii per verba de præsentis copulam habuerint, essetne ejusmodi Matrimonium consummatum, quamvis post verba de præsentis nondum subsequeretur facta copula?

Respondeo; non esse consummatum, quia Matrimonium non consummatur, nisi per copulam maritus & quamvis ad legitimandam prolem retrorahatur Matrimonium; quia ob bonum prolis jura finguntur perinde

TRACTATUS VI.

DE

SOLEMNITATIBVS

Contractus Matrimonii.

CAPVT VI.

Matrimonium Fidelium consummatum
indissolubile est.

1. Ita id certum est ex dictis, ut longior probatio sit hominid superflua. Breuiter autem sic discurre: Ex una parte matrimonium est ex natura sua, & ex ratione Sacramenti, indissolubile, ut vidimus in superioribus, ex altera, non apparet, Christum Dominum dedisse Ecclesie potestatem dissolvendi matrimonium consummatum, imo, ex antiquissima traditione, ejus vinculum esse in omni casu insolubile, excepto ob alterius mortem, semper Ecclesia predicavit, ergo, &c.

2. Non est igitur admittenda consuetudo Græcorum qui matrimonium consummatum dissoluant ob adulterium, ut refert Leand. d. 5. de matr. g. 5. Divertere enim potest coniux innocens, modo infra explicando, ob alterius adulterium, non verò (quod longè diverfum est) vinculum dissolvere.

3. Illud tamen hic proprium locum habet, ut explicemus, seu recolamus, in quoniam consistat ejusmodi consummatum, nam de ea memini, me iterum dixisse in simili supra, tr. 1. de imped. c. 12. §. 4.

Enim verò consistit in receptione seminis virilis intra vas naturale Mulieris. Hinc, si habeatur vas penetratio, sed sine viri seminatione, non erit consummatum, esto, in foro externo, consummatum præsumatur. Ita Sanch. lib. 2. de matr. d. 1. G. Hurt. disp. 8. matr. diff. 9.

4. Si tamen, contrā, habeatur seminis receptio, non verò penetratio, quod contingere posse, matrice sibi semine attrahente, supponunt Doctores, habebitur secundum Sanch. l. c. G. Hurt. l. c. m. 33. consummatum, quia iam coniuges sunt una caro, & unum principium generationis, quidquid dubitet Pont. l. 9. c. 10.

5. Verum, requiritur ne seminatio facta à femina? Respondeo: Probabilius esse, non requiri, tener Sanchez, licet requiri fateatur esse probabile, quia ex opinione probabili multorum, ut Sanch. l. c. Dianæ p. 3. tr. 4. ref. 19. & in Addit. ref. 21. Avers. g. 2. sect. 4. de matr. initio, citantis S. Th. Verric. latè tr. 4. q. mor. 27. sect. 3. requiritur semen Mulieris ad generandam prolem, & in aliorum opinione non requiritur.

Coniugibus iurantibus, se non consummasse matrimonium non est fides habenda in iudicio, nisi ad sint alia indicia, v. g. integritas Claustrii Virginalis, vel ipsam non fuisse deductam ad domum Sponsi, vel quid simile, ut docent Sanch. lib. 2. matr. d. 23. n. 1. & Pont. l. c. n. 6. locis citatis. Quidquid autem concedat idem Sanch. l. c. n. 2. ne immunitatis solam integritati prædicat claustrii: nam plura remedia, quibus utuntur feminae, ut Virgines appareant, ex sola integritate nihil certi hac in re haberi posse, latè probat ibid. Verricelli dicto tr. 4. q. 14.

Quid si alter neget, alter affirmet se matrimonium consummasse? Vide prædictos DD. eodem id magis ad forum externum pertineat, quam ad conscientiae forum, de quo agere, nostrum est institutum.

An coniuges, quamvis matrimonium consummaverint, licet ex mutuo consensu Religionem profiteri valeant? Dicam infra, tr. 7. de obligat. c. 4. §. 1.

CAPVT PRIMVM.

Quenam sint ejusmodi Solemnitates?

1. & potissimum sunt: Altera, inducitur à Tridentino, sess. 24. cap. 1. de ref. matr. illa est, ut matrimonium contrahatur coram Parocho, & Testibus: Altera, à Sacris Canonibus alias lata, sed ab eodem Tridentino ibidem confirmata, est, ut antequam matrimonium per verba de presenti celebratur, præmittantur denuntiationes. Est etiam alia tertia minoris momenti solemnitas, seu ceremonia, qua matrimonium contrahitur benedici à Parocho solet, & de hac etiam erit suo loco paulò inferius opportuna tractatio.

2. Inter illa autem duo priora maximum discrimen intercedit; Si enim non ad sint Matrimonio Parochus, & Testes, nullum est Fidelium matrimonium, & sine dubio graviter peccabitur: at, si non præmittantur denuntiationes, peccabitur quidem modo inferius, c. 3. §. 1. n. 2. explicando, sed validum erit matrimonium.

3. Dixi (Fidelium) nam ad matrimonia infidelium, quamvis temporaliter subjectorum Ecclesie, hæc decreta non extenduntur, unde matrimonia Iudeorum, Turcarum, & hujusmodi, nec præsentia Parochi, & Testium indigent, nec denuntiationibus. Eosdem, quando iam coniugati veniunt ad fidem, non obligari ad suppleudas prædictas solemnitates, rectè notat Boss. de matr. cap. 1. §. 32.

CAPVT II.

De prima Solemnitate, quæ requirit præsentiam
Parochi, & Testium.

§. 1. Qua ratione hanc inducere Tridentinum potuit?

1. Tamen si hoc explicare pertineat ad Theologos scholasticos, breuiter tamen id innuere, alienum à nobis non est.

2. Propter bonum commune, bonumque gubernationem valet Potestas humana iterum reddere contractum civilem, siue ipsum contractum irritando, siue inhabiles reddendo, personas ad hoc, vel illo modo contrahendum, ut de facto ius civile gessit, quando irritavit contractus Minorum initos sine Tutoris licentia &c. & ius Ecclesiasticum, quando irritavit professiones Religiosas ante annum 16. ætatis, & ante annum novitatus emissas, ergo Potestas Ecclesiastica, in qua resister summa auctoritas circa ea, quæ ad bonum commune, & circa gubernationem Fidelium pertinent, potuit, ad tollenda innumera scandala, quæ oriebantur ex matrimoniis clandestinis potuit, inquam, irritum reddere contractum matrimonii initum sine præsentia Parochi, & Testium, irritando ipsum contractum sic celebratum, imò, & reddendo personas sibi subditas inhabiles ad contrahendum sine dicta præsentia. Hoc posito si prosequimur argumentationem, quo pacto etiam solvimus objectionem, quæ afferri contra nos potest.

3. Materia, & forma Sacramenti matrimonii est validus contractus inter virum, & feminam, sed Ecclesia potest